



Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Bellegambe è Societate Jesu Theologi,
Enchiridion Theologo Practicum Tripartitum, De Iubilæo
Ecclesiastico**

Bellegambe, François

Coloniæ Agrippinæ, 1700

Q. 2. An, qui post suspectum iter ad Urbem Romam accedere non
potuerunt, lucrari possint Jubilæum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-42093

78 P. 2. De Jubilao Anni Sancti.

Castropalao tr. 24. pu. 3. n. 15. cum
aliis. Vide iterum q. 6. modò citat.

III. Effundendæ sunt piæ ad Deum
preces pro ipsorum visitantium, &
totius Populi Christiani salute, pace
& concordiâ. Quantæ autem, & qua-
les, non præscribitur. Vid. ibid. q.
10. & 11.

Q. 2. An, qui post suscepit iter ad
Urbem Romanam accedere non potuerunt,
lucrari possint Jubilæum?

R. Affirmativè. Patet ex Bullis: ex
quibus, maximè posterioribus, in-
fero sequentia.

I. Qui unicam v. g. leucam ex iti-
nere confecisset, si instaret justum
impedimentum, aut mors superveni-
ter, Jubilæum lucraretur.

Meritò autem censet Gobat n. 20.
causam legitimam non perficiendi
iter, forè mortem v. g. supervenien-
tem uxoris, aut incursum hostium
eiusmodi, ut quemvis prudentem
eiusdem conditionis virum domi de-
tineret; Similiter, si post cœptum
iter, pestis, aut prædones vehementer
grassa-

grassarentur per loca , per quæ transfeundum esset ; aut si Romipeta corripiatur tali infirmitate, cum quâ posset quidem physicè Româ pervenire, at non moraliter, quia non nisi cum summâ difficultate, vel cum sumptibus triplo, quadruplóque majoribus.

II. Etiam Jubilæum lucraretur Romæ degens , si ibi præpeditus juxta dicta, Ecclesiæ non visitasset , dummodo intentionem habuisset illud lucrandi. Quintanad. dub. 10.

III. Nihil ab istis impeditis aliud requiritur ad consecutionem Indulgenciarum, quam vera de peccatis pœnitentia & confessio. Tutijs tamen esset, preces in Jubilæo assignatas piè ad Deum effundere , si impedimentum illis fundendis non obstaret.

IV. Qui iter Romanum non esset aggressus, haberet tamen aggredendi intentionem, at impediretur, non lucraretur ; lucratus autem fuisset juxta antiquiores Bullas Alexandri VI. & Clementis VII. apud Quintanad. suprà.

V. Ante tales impediti à persicione
do itinere, obtinerent non solum Indulgentiam Jubilæam, sed etiam alios
favores, si qui sint in Anno Sancto ?
Censet obtenturos Gobat n. 22. Quia
Pontifex pronuntiat se cupere tali-
bus favere, quantum potest; & facit eos
Indulgentiae particeps perinde ac si ipsas
Basilicas Romanas reipsâ visitassent. Sed
de hoc Sect. seq.

SECTIO III.

DE FAVORIBUS ANNI JUBILÆI.

QUÆST. I. *Quid potissimum conferat
Annus Jubilæus?*

RESP. Plenissimam omnium peccato-
rum Indulgentiam, remissionem, ac ve-
niam. De qua notat Gobat n. 12. ex
Benzonio, quod ea reliquas Indul-
gentias certitudine, efficacitate, am-
plitudine, dignitate, fructu, superet,
consideratâ videlicet cum suis causis,
& effectibus accidentariis, ut obser-
vat idem Gobat n. 294. De quo vi-
deri